

XXXII
1782, 16. 67

DE
O P T I O N E
VXORI EIVSQUE HAEREDIBVS IN BONIS
MARITI DEFVNCTI, PRAESERTIM EX
IVRE SAXONICO,
COMPETENTE

DISSERTATIO
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS
AD DISCEPTANDVM PROPONIT
M A V R I T I V S L V D O V I C V S H Ü B E L
IVR. VTRIVSQVE BACC. ET ADV. SAX. IMMATR.

A. D. V. DECEM BR. A. R. S. MDCCCLXXXII.

L I P S I A E
LITTERIS SOMMERIANIS.

DE

O P T I O N
ACCOLI INAGOD HESPERIDIAE IN ROMA
MAGISTERIUS UNICITT. PRESERTIM RX
LVRH SAXONI
COMPETITI

DISCERNITATIS

674

HISTORICORUM ORDINIS ACADEMIAE

170

SVM CIN TROPICIS HABITACULIS

SCAMPSIUS

AD DISCERNITANAM TOLONI

IN MONTANA TUDORUM

REX SICILIAE ET ALIA PROVINCIA

171

SCAMPSIUS SCAMPSIUS

172

SCAMPSIUS SCAMPSIUS

ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
~~CHRISTIANO GOTTHELF~~
LIBERO BARONI
DE G V T S C H M I D
DYNASTAE IN KLEIN-WOLMSDORFF
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE COMITI
CONSISTORIANO DEPVATORVM AD RATIONES
PVBLCAS DIRECTORI
etc. etc.

ILLUSTRISSIMO
ATQUE EXCELSISSIMO DOMINO
P A T R O N O
CHRISTIANO GOTHIC
SVMMA PIETATE
C O L E N D O.
DILEXIT IN TERRA VOLVENDO
SEVERUS ET FELICIS EXORTORUM CANTUS
COVENSATORUM HISTORIARUM AD RATIONES
FELICIS DILECTORIS

1589 1593

VIR ILLVSTRISSIME
DOMINE EXCELLENTISSIME

Iam dudum in votis habui, ut aliquando tandem occasio-
nem intimos animi mei sensus palam declarandi
nancisceret, ostendendique quanta pietate NOMEN
TVVM, patriae toti exoptatissimum, ab ineunte statim
iuuentute sim prosecutus. Quam igitur praebuit libellus
hicce opportunitatem ne culpa mea neglectam dolerem,
primam statim eius frontem NOMINIS TVI digni-
tate exornandam putau. Accedet non solum auctoritas
et splendor quidam huic libello, ita ut saltem inquirere
studiorum meorum rationem, TANTI VIRI admi-

*ratione comendabilem, operae pretium videatur: sed
pietatis quoque, quam et patriae, et TIBI, tot patriam
meritis ornanti, debo, monumentum extabit certissimum.
Itaque non dubito, VIR ILLVSTRISSIME, fore,
ut libellum quatenusque, ingenio quidem TVO parum
dignum, neque ipsa argumenti grauitate insignem, serena
fronte atque clementer suscipias, cum animo certe pie-
tatis pleno TIBIque deditissimo offeratur. Neque desinam
tot aliorum votis mea quoque ardentissima adiungere, ut
Deus in posterum TE, patriae saluti et litterarum orna-
mento, incolumem quam diutissime conseruet, TVAMque
SPLENDIDISSIMAM GENTEM omni iubeat
genere felicitatis abundare.*

*ILLVSTRISSIMO ATQVE
EXCELENTISSIMO NOMINI TWO*

*addictissimus
MAVRITIVS LVDOVICVS HVBEL*

§. I.

Rationibus scribendi expositis fines libelli designantur.

Occasionem scribendi nactus, omnino quaerendum videbatur, quid scripturus forem, ne redarguerer, scripsisse aliquid, quod ab aliis iam maiore eruditionis apparatu, aut vbiore ingenii copia expositum haberetur: Quam ob rem regulae Horatianae memor:

*Sumite materiam, vestris qui scribitis aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant bumeri —*

tale elegi argumentum, quod meo quidem iudicio, neque satis adhuc declaratum, neque ex rei natura ut par esset de promtum, meae tamen personae accommodatum viribus attemperatum videretur. In Saxonia enim, patria, constitutus, ex iure in primis Saxonico materiam mihi esse de promtandam putau, cuius usus quidem quotidianus, magni tamen simul momenti est, videlicet, *De iure optandi, viduae eiusque haeredibus, post mortem matriti, praesertim ex iure Saxonico, competente.* Late quidem patet haec iuris Saxonici quaestio, ad tria tamen capita referri posse existimo. Primum quidem de vidua nobili, eiusque optione differendum erit, deinde de ignobili, eiusdemque optandi iure, denique quaefio subiungenda, vtrum hoc ipsum ius optandi viduae tributum, eadem ante electionem, vel optionem mortua, ad haereses transmittatur, nec ne. Quae quidem ex iuris communis et Saxonici principiis definire studebo, et si contingit, rem ita proposuissime, vt viris dectis et aequis harum rerum arbitris

arbitris non dispiceat, tum quidem hoc mihi erit praemium laboris longe gratissimum.

§. II.

De obligatione mariti ad dotandam, praesertim in casum viduitatis, uxorem.

Lex fuit Germanorum, vt vidua ex bonis defuncti mariti aut aleretur, aut alimentorum loco lucrum perciperet, quae vero iuri dispositio multiplicem formam apud diuersas Germanorum gentes paulatim induit. TACITVS meminit eius his verbis: *Dotem non vxor marito, sed uxori maritus afferit.* — *Atque ipsa inuicem armorum aliiquid marito afferit.* — ^{a)} Auctor hoc loco rem inter Germanos obseruatam ciuibus suis retulit, apud quos dote nihil frequentius ^{b)} ita, vt propter hanc solam, honestam nubendi conditionem reperire viderentur. Nobis vero haec omnia, quae de dote scripta inuenimus, non parum, ad veras rerum germanicarum rationes indagandas prosunt, quarum quidem utilitas tam in explicandis maiorum nostrorum legibus ritibusque, quam in ipsis causarum argumentis conspicitur. Paucia ex legibus Germanicis defubimus. **LEX ALEMANNICA^{c)}** de vxore, ex aedibus et haereditate defuncti mariti exire parata, ait: *Sequatur eam dos legitima et quicquid parentes eius legitime placauerint; et quicquid de sede paterna secum attulit, omnia in potestate habeat auferendi, quod non manducauit, aut non vendidit.* Eadem **LEGVM LONGOBARDICARVM** est ratio, quibus fanci-

^{a)} *De moribus German. cap. XVIII.*

^{b)} *PAVLVS I. 2. D. de iure dorium, ait: reipublicae interest mulieres do tes satus habere, propter quas nubere possunt.* Id ipsum etiam Imperatoribus curae cordique fuisse, praesertim IVSTINIANO nostro, leges Codicis suis titulis quemvis facile edocebunt.

^{c)} *Tiu. LV. cap. 1.*

fancitum: *habeat ipsa mulier morgengab et quod de parentibus eius adduxerit, id est Phaderphium^{d)} id quod alio loco plenius ita cavitur: *vidua, quae in domo patris aut fratris regressa est, habeat sibi morgengab et methium, de Phaderphio autem, id est, de alio domo, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulauerit, mittat in confusum cum aliis sororibus.*^{e)} **LEX BAVARICA**^{f)} de vidua iterum nubente constituit: *mater vero si habet proprias res cum dote sua, quam per legem habet, egradiatur.* **LEX SAXONICA**^{g)} autem disponit: *de eo quod vir et mulier simul conquisierint, mulier medianam portionem accipiat: hoc apud Westphalos. Apud Offalos et Angarios nihil accipiat, sed contenta sit dote sua.* In his quidem aliquis locis, non dotem ab vxore allatam marito intelligendam esse, sed vxoria marito aut constitutam aut ex lege debitam, et ipsa loca et rationes iurium docent. Manauit quoque haec obligatio mariti ad dotem vxori suae constituendam ab antiquissimis temporibus ad nostra usque tempora, in multiplicem vero formam transfusa. Ad duo tamen genera referri posse statuo, primum quidem inter nobiles natum inde est dotalium, quod **GVNDLINGIUS**^{h)} his verbis accurate monuit: *Potius hoc dotalium, scitur dos Germanica, eum in finem constituebatur, ut vidua uxor inde pro dignitate vitam transigere potis esset.* Deinde autem veram portionis statutariae originem et causam inde esse repetendam puto, etsi in utroque genere magna iuris Romanii, morumque priorum facta est permutatio, ita, ut etiam optio*

d) Exstat haec fancio *Lib. II. Tit. XIV.* seu inter leges ROTHARIS apud **GEORGISCUS Corp. iur. Germ.** cap. **CLXXXII.**

e) *c. l. cap. CXCIX.* f) *Tit. XIV. cap. VII. §. 2.* g) *Tit. IX.*

h) cf. **GVNDLINGII** de emione uxorum, *dote et morgengaba ex iure Germanico libellum singularem.* (*Lipf. 1731. 4.*) cap. *II. §. XXI. p. 53.* et **SEGERI VIR. ILL. diff. de alimentis viduae indoratas ex feudo debitis.** (*Lipf. 1774. 4.*)

optio viduarum paulatim reciperetur, legibusque constitueretur. Quod breui persequar.

§. III.

Vxores marito pecuniam afferunt, quam cum dote mariti aliisque luxuris nuptialibus soluto matrimonio repetunt.

Quamquam maritus ad alendam dotandam vxorem suam moribus Germanorum obligabatur, vxores tamen pecuniam marito afferre solebant, ad domum, remque familiarem, cuius cura ad ipsas pertinere videbatur, instruendam. **TACITVS** ^{a)} huius rei iam meminit, legesque veteres de hac re satis clare testantur; quas tamen hoc loco enarrare, animus non est. ^{b)} Atenim id ipsum impedimento non erat, quo minus dos a marito scriberetur, atque ipsis legibus vxori in statum viduitatis praestanda fanciretur. Quaeritur autem ad quem pertineat pecunia marito allata, soluto matrimonio? Si vxor marito superstes erat, praeter dotem expactis legibusque debitam, repetebat res allatas, partemque acuestus conjugalis modo tertiam, modo dimidiam. **Lex RIPVARIA** ^{c)} ait: *Si autem per feriem scripturarum ei nihil contulerit,*

^{a)} *de moribus Germ. cap. XVIII*

^{b)} cf. BREVNING *de Faderpiis veterum Germanorum.* Lips. 1752. 10.
NATH. FISCHERS *Geschichte der deut/sden Erbfolge* p. 75. seq. et quae antea iam exposuit GYNDLINGVS c. I. cap. II. §. XII. seq.

^{c)} *Tit. XXXVII. c. 2.* Rationes cur tam laute mulieribus apud maiores nostros prospicuum fuerit, omnino in singulari diligentia et virilitate, quam cura et opera marito afferabant, esse ponendas puto. Erat enim vxor laborum et periculorum socia, idem in praelio, idem in pace passura et aaura. In quam quidem rem loca allegauit LVDEWIG *in Accessionibus ad differentias iuris Romani et Germanici in successione coniugum et dissorsium liberorum. Opusc. Misc. P. II. p. 1299.* Deinde altera accedit ratio, exiguae mulierum Germanicarum facultates, quippe a successione praediorum excludebantur, saltem quoad stirps

¶

tulerit, si virum superuixerit, quinq[ue]aginta solidos in dotem recipiat, et tertiam partem de omni re, quam simul collaborauerint, sibi studeat evindicare, vel quicquid ei in morgengabe traditum fuerit, similiter faciat. Alia loca paullo ante iam laudauimus. At enim haec omnia paullatim plane aliam faciem induerunt, quod chronologica ratione persequi nostrum non est. Quae sponsa marito affectabat, iure dotis aestimabantur, et posteriori tempore ex legibus Romanis repetebantur; inter nobiles autem postea inualuit pars dotalium, quod dotis et alimentorum loco habebatur, pars augmentum dotis, quod viduae, cum ipsa dote, ex praediis mariti restituebatur: inter ciues vero communio bonorum constitui coepit, que longe lateque per Germaniam medio aeuo diffusa quidem, per portionem statuariam tamen modo impedita, modo infracta fuit, vt adeo hodie cuiusuis prouinciae mores inspici debeant.

§. IV.

Viduae nobili, quae dotem intulit, competit ius et repetendi dotem et exigendi dotalium, aliudue dotis augmentum.

Delibatis, quae ad antiquitatem pertinere videbantur, iuribus, nostri seculi iura moresque perfequar. Primo quidem loco id monendum videtur, ut vidua nobilis ab ignobili distinguatur. Cum enim nobiles morum priorum essent tenacissimi, apud hos in primis iura patri tutelam perfugiumque habuerunt, quamquam quod per naturam rerum humanarum aliter fieri non potuit illi etiam magis magisque degenerarunt. Exoritur itaque quaestio, quo generali principio, si pacta dotalia deficiant, aut normam non praebeant, vxorum nobilium res, post mortem

B 2 mariti

stirps mascula superstes erat; id quod obscruauit HELLFELDIVS in
STRVII*iurispr. Heroica P. III. p. 218.*

mariti regantur? Cum Germanorum moribus et rerum illatarum esset repetitio, et viduae dos legitima ex haereditate mariti aut pactis praestaretur, vtrumque superesse puto, rationibus tamen, causis, ipsisque adeo rebus mutatis. Quae enim vidua nobilis marito afferit, iure dotis omnino aestimantur, ideoque hoc loco iura Romana in fauorem viduarum illustrium nobiliumque sibi locum vindicant.^{a)} Quamobrem defuncto marito, viduae nobili, rerum illatarum repetitionem competere, nihil fere dubitationis habet. At vero an praeter res illatas etiam a marito eiusque haeredibus, id quod instar dotis maritalis est, petere possit, nondum satis constat. Evidem id omnino aiendum esse, existimo. Sed duplex fere inualuit ratio. Primum quidem constitui coepit dotalitium, quo certa reddituum quantitas vxori in casum viduitatis assignatur ex bonis praediis que mariti, ut honeste se exhibere possit b). Quamobrem in dotalitio idem finis est, qui olim erat dotis maritalis, et tamen ab hac ipsa dote maritali differt. Dotalitium fundamenti loco ponit dotem illatanam ex qua et quantitatis mensura, aliarumque rerum definitio petitur; dos contra illa Germanorum ex sola legis dispositione constituebatur, nulla rerum ad maritum allatarum ratione habita. Deberi itaque dotalitium in hunc ipsum casum definitum, nullum est dubium, sed an hoc ipsum dotem absorbeat, dubitari potest. Evidem id negauerim: Rationes enim iuris patrii id non ferunt, quae repetitionem rerum illatarum indulgent, et cum hodie dos lege Romana, constituantur, cuius repetitio tot legibus priuilegiisque confirmatur, per dotalitium dotem perire non existimo, nisi pactis dotalibus id ipsum caueatur. Deinde dos maritalis in aliis Germaniae territoriis in augmentum dotis illatae fuit conversa

a) cf. LVDOLFVM de iure feminarum illust. P. II. cap. I. §. III.

b) cf. GUNDLING de coenione uxorum, dose et Morgengabe C. II. §. XXI. p. 53. HELLFELD iurispr. Heroica P. III. Cap. I. sed. I. §. XI.

versa, ita, ut vidua non dotem illatam solum repetere, sed ab haeredibus defuncti mariti augmentum eius ad quartam, tertiam, dimidiamue partem exigere posset ^{c)}).

§. V.

Exceptio regulae propositae in Saxonia est, in qua viduae nobili optio competit, velutne dotem illatam repetere, an cum iactura dotis dotalium habere.

Post tantas opes ad manus mulierum paullatim delatas, succedendique capacitatem ipsis tributam, in desuetudinem abiit vera dotis maritalis ratio, quae in paupertate mulierum et exelusione a successione ponitur. Cum itaque illa dos ab aequitate abhorre videretur, mulieresque, praeter dotem suam in detrimentum familiarium nobilium, dictae ex matrimonio recederent, factum fuit, ut iureconsulti oblitii morum priorum, secundum leges Romanas, viduae repetitionem dotis non denegarent quidem, eandem tamen ex legibus Romanis a reliqua mariti haereditate arcerent. Dos enim iam ex iure Iustinianeo, eiusque privilegiis aestimabatur, ideoque aequum videbatur, ut mulieres eodem erga se iure vterentur.^{a)} Cum autem viduae mores patrios allegarent, quos omnino constans fori usus tuebatur, cautum fuit, ut aut dotem repeterent, eaque contentae viuerent,

B. 3

c) cf. HEINECCI Elem. iur. civ. secundum ord. π. P. IV. §. 201. PVFFENDORF Obscrv. iur. Vniu. Vol. II. cap. 17.

a) cf. Tit. D. Soluto maritim. dos quemadmodum peratur ex l. XI. Cod. Sotio maritim. quemadmodum dos peratur. Vbi cautum: Si constante matrimonio maritus fuzali fuerit forte consumitus, dos, quae data dicitur, vel promissa ex eius uxoris facultatibus ad eandem reveratur: nibilque filii ex hoc defuncti bacres audiat vindicare, quod ad mulierem recurrere fecit obitus maritalis. Iungi potest l. vnic. Cod. de rei uxoriae actione.

rent, aut cum iactura dotis ex praediis mariti dotalitium habebant. De hac re vero controuersia in Saxonia praesertim obtinuit, dubiumque fuit, vtrum penes vxorem esset, dotem illatam repeteret, an ipsa hac dote sibi dotalitium ex praediis mariti emere. b) Quamobrem sapientissimus Saxoniae legislator hanc litem ex moribus Saxonie ita composuit: *Da die Frau bey ihres Mannes Leben gegen ihr Einbringen, welches sie darthun kann, nicht beleibdinget, und nachmahl von den Lehnstügern will beleibdinget seyn, so soll ihr dasselbige folgen, wie dann hierinnen einträchtlich gesprochen wird. Wann es sich aber begäbe, dass die Frau von ihrem Mann, gegen ihr Einbringen nicht beleibdinget, und sie will nach seinem Absterben kein Leibgedinge haben, sondern fordert ihr eingebrachte Ehegeld, die Lehnstüger wollen sie beleibdingen und das Ehegeld nicht geben — So soll in der Frauen Willkür stehen, ihr eingebracht Ehegeld wieder zu fordern oder aber das Leibgedinge anzunehmen.* c) Ex quibus itaque certissime patet optionem viduae nobili competere, vtrum dotem repeteret an dotalitium exigere velit, ita tamen ut in hoc casu dos haeredibus mariti cedat d).

§. VI.

Iure communi vidua ignobilis, post mortem mariti et dotem illatam repetit, et portionem statutariam capit.

Portione statutaria, praesertim in urbibus, paullatim introducta, et ad certam ac definitam quantitatem redacta, inter Iure-

b) cf. BERLICH *Concl. P. II. Concl. LII. num. 1. et 2.*

c) *P. II. Conf. Elect. conf. 44.*

d) cf. *Conf. 42. P. II. ibique CARPOV. Def. 3. et P. II. Conf. 44. defin.*

2. CONSULTATIONES Confit. Elect. libr. II. p. 55. inter Scabinorum Lipsiensium resolutiones haec habent: *Dotem uxoris nobilis sollemus post morrem adjudicare haeredibus feudalibus defuncti; proper onus dotalitii, quod in feudo suffinere coguntur. Quod uberior persequitur BERLICH P. II. Concl. L. num. 73, sequ.*

Iureconsultos, si vxor dotem haberet, quaestio, ex iisdem fere, quas antea exposuimus, rationibus, mota fuit, utrum vidua et dotem suam repetere et portionem statutariam simul capere posset, an alterutrum tantummodo ipsi debeatur. Duplex vero inde paullatim constitui coepit ius. Primum quidem in multis Germaniae urbibus inualuit bonorum communio, atque haec ipsa nouas plane introduxit rationes, vt neque de dote repetenda, neque de portione statutaria capienda, quaestio oriretur. Sed haec ad nos non pertinent. Deinde autem in aliis urbibus territorialisque res ita fuit definita, ut repetitio dotis, cum dos illata nullam portionis statutariae haberet rationem, atque per se aestimata in vxoris dominio naturali remaneret, vxori eiusque haeredibus denegari non posset, praesertim cum id ipsum leges Romanae expresse iuberent. Tum vero quaestione mota, an portio statutaria praeter dotem exigi possit? id ipsum ferri posse, communiter placuit. Cum enim moribus maiorum, etiam in urbibus, mariti esset obligatio, ut vxori in casu viduitatis dotem constitueret, placuit in locum eius surrogare portionem statutariam, ideoque in dissensu non potuit non haec praeualere sententia, quae vxori, nulla dotis illatae et repetitiae habita ratione, ius portionis statutariae tribuit. Praeterea id ipsum aequitas suadet. Cum enim vxor suo labore bona quoque acquirere soleat non potuit non portio eius, quod labore partum erat, illi tribui, idque ipsum, ex moribus maiorum, statui et retineri. Atque in hunc modum principium iuris communis ex utroque iure Romano et patrio natum et stabilitum fuit, vxori mortuo marito et dotis repetitionem iure Romano aestimandam, et portionis statutariae capionem moribus maiorum esse indulgendam.^{a)} Quantitas

^{a)} WERNHER. Obs. For. P. VII. Obs. 110. LEYSER. medit. 'ad π. Spec. CCCCIX. med. 3. qui LAVTERBACHIVM diff. de doris collatione §. XI. rest. quidem sequitur, et STRYCKIVM de success. ab invest. diff. IV. cap. I.

titas quidem eius ex ipsis statutis moribusue loci definienda erit, in subsidium tamen etiam hoc loco iuris Romani sanctionem sequi vellem, ut quarta haereditatis maritalis portio debeatur. Quamquam enim ipsa portio statutaria originem ex legibus moribus Germanorum coepit, quantitas tamen ex iure Romano definita fuit, ut adeo etiam in hac re iura peregrina formam derint iuri patrio.^{b)} Cessat vero apud nos distinctio inter coniugem pauperem et diuitem, quippe obligatio dotis maritalis sive nostris temporibus portionis statutariae, ex moribus maiorum nulla dotis illatae habita ratione orta est. Cum itaque vtrumque viduabus ciuium iure communi debeatur, sequitur, ut nulla de optione alterius fieri possit quaestio. Sed ius Saxonum persequar, quod ab hoc longe differt.

§. VII.

cap. I. §. 22. qui contrarium ex iure communi etiam statuit, ex legibus Romanis refutat. Nollem hanc viam ingredi, sed et dotis repetitionem et portionis statutariae rationem ex propriis fontibus repeterem, illam ex legibus Romanis, hanc ex moribus maiorum.

b) *IVSTINIANVS Nouell. LIII. cap. 6.* sanxit: videamus licet bona mariti relata multa sunt, viuat tamen vxor superflues in egestate, cum omnia sibi arrogent liberi: Sancimus igitur huiusmodi vxorem indotam in egestateque viuentem cum liberis vocari ad quartam substantiae defundi partem. Restrinxit haec *IVSTINIANVS Nouell CXVII.* *cap. 5.* unde hauta *Aub.* *Praererea Cod.* *Vnde Vir et Vxor.* Sententiam autem meam supra propositam egregie confirmant *AVTORE* *Consulariorum ad Conflit. Sax.* *L. II. P. II. Quaest.* *XIV.* p. 60. vbi, differentes de quantitate portionis statutariae, aiunt: *Erlische aber sprechen der Frauen allein wo sonst nichts anders gewöhnlich, den zweiten Theil zu, idque ex Aub. Praererea Cod. Vide Vir et Vxor non distinguendo an sit inops vel pauper, et tunc sextus in dicta Aub. Praererea videatur distinguere, tamen Moderni, istuc contulunt, quod in hogorum matrimonii haec quaria vxori debeatur, quamvis non sit inops, et talis non debet sua bona conferre, neque imputare in illam quartam.*

§. VII.

*Iure Saxonico viduae ignobilis optio competit, utrum dotem et illata
repetere, an his in communem haereditatis maritalis massam col-
latis, ex uniuersa utriusque patrimonii summa, portionem
statutariam capere malit.*

Quamquam olim iure Saxonico obtinuit communio bonorum inter coniuges ^{a)}, hac tamen paulatim infrausta et plane sublata, noua iuris Saxonici obtinuerunt principia. Cum enim Iureconsulti aequitatis magis rationem haberent, principiisque iuris Romani tanquam glebae adscripti essent, mores vero maiorum vix ac ne vix quidem per nebulae viderent, commixtio iuriuum, morumque patriorum talis sequebatur mutatio, ut pristina vestigia vix deprehendere licet. Communio bonorum igitur in exilium acta fuit a nostratisibus ^{b)}, atque in eius locum surrogata

a) EPKO VON REPKOV *Iur. Pron. Sax. Lib. I. art. 31.* ait: *Mann und Weib haben nicht gezweyet Gut, zu ihrem Leib.* Id ex pluribus aliis monumentis quoque intelligitur, quae iam omitto.

b) Ut intelligatur quibus disputationibus patrii juris principiū loco fuere depulsa, exemplum ex lib. II. *Confūcti. ad Conf. Sax. P. II. Qu. XXXIII.* p. 71. proferam. Quæstio fuit, quid vidua ex haereditate mariti petere possit, ubi haec: *Erlieb seullen der Meynung seyn, daß des Verstorbenen Freunden der halbe Theil, und der Witwen auch der andre halbe Theil disfalls folgen solle, idque per textum art. 31. lib. I. des Land R. daß Mann und Weib zu Sachsenrechte kein gezweyet Gut haben, ergo sollen die Abnützungen so aus der Frauen Gütern kommen, dem Manne die Hälfte, und der Frauen die andre Hälfte gebüren; et hanc opinionem exprefse ibi affirms ZOBEL, addit tamen: Si vxor ex statuto vel consuetudine nihil certi ex bonis mariti habeat. Aber die Schöppenstühle bedeuten industria mariti, und daß er die Güter durch seine Arbeit und Fleiß erworben; item, daß das Weib dem Manne zu acquiriren und*

gata portio statutaria. Iam autem alia quaestio mota est, vtrum haec portio vxori praestanda sit praeter dotem, an ipsa dote sibi veluti emere debeat portionem statutariam, atque adeo, an ab haeredibus mariti ad conferendum cogi possit. Plerique fere istam defendebant sententiam, tam ex principio iuris communis, quam ex rationibus pristinae communionis ^{c)}, placuit tamen legislatori Serenissimo AVGVSTO I. utramque sententiam miscendo, vnam constitueret sanctionem, ita quidem, ut eadem optio, quae viduae nobili data fuerat, etiam viduae ignobili indulgeretur, atque ut penes ipsam sit statuere, velutne dotem illatam repetere, an dote in massam haereditatis collata portionem statutariam capere ^{d)}. Sed ipsum legoslatorem, explicatione breuiter subiuncta, audiamus.

§. VIII.

Verba Constitutionis XX. P. III. afferuntur et breuiter explicantur.

Notatu dignissima est iuris Saxonici constitutio, ideoque eam afferre, haud alienum esse videtur. Ait enim Legislator: *Dieweil bis anhero an vielen Orten in Städten und Dörfern unserer Lande ungewiss, was dem Weibe nach Absterben ihres Mannes aus den verlassenen Gütern gebühre. Haec iurium Sax. incertitudo inde nata*

und seine Nahrung stärken zu helfen schuldig, etc. ex hoc loco patet, ZOBELIVM recte statuere, quod contortis, et partim ex iure Romano petitis ratiunculis, a Scabinis sicut etuersum.

c) cf. Revisionem differentiarum iuris civil. et Saxonici per utramque iuridicam facultatem, Lipsicam videlicet et Wittebergensem factam an. 1571. quae exstas lib. II. Consultr. Sax. p. 276. Verba autem exstant Parte III. Revisionis, p. 208. Adde BERLICH P. III. Concl. XXVII. num. 3. sequ.

d) Conf. Elect. Sax. P. III. Conf. 20.

nata est, quia a iure moribus constituto recesserant, et Iureconsulti partim ignorabant, partim fluctuabant, ex quo iure pronunciandum esset. Quo facto **AVGVSTVS I.** nouam legem condidit, his verbis: *Sezen und wollen wir; wann zwischen Eheleuten, Eheleistungen beredet und aufgerichtet, oder sonstigen des Orts, daß der verstorben Mann wohnhaftig, wie es disfalls gehalten werden soll, eine Willühr oder beständige Gewohnheit vorhanden und eingeführt, daß denselben nachgelebet, und die Wittib aus ihres verstorbenen Mannes Gütern, vermöge der Eheleistung, Willühr oder Gewohnheit gebührlich abgefunden werden soll.* Sapienter omnino constituit Princeps primo loco paæta dotalia esse inspicienda, deinde autem statuta locorum, siue ex iure scripto, siue ex non scripto, prouenant, esse obseruanda. Cum vero hac de re etiam controversia inter DD. esset exorta, et optio contra statutum ex aequitate cerebrina indulgeretur, **D. CHRISTIANVS II.** *Rescripto*, id, sequenti modo, prohibuit: *Da auch diuizio haereditatis inter viduum et liberos vel haeredes mariti gesucht würde, hin-führo auch das Statutum oder Gewohnheit, so des Orts beständig her-bracht, praeceps geurtheilt, und der Wittben disfalls die optio und Wahl zu ihrem Einbringen nicht verfasset werden.*^{a)} Tertio denique loco duas iuris communis Saxonici quaestiones definitas invenimus. Prima haec est: *Wo aber diese Dinge ungewiss, und es stirbt der Mann vor seinem Weibe, und läßt nach sich Kinder von der ersten und andern Ehe, eines oder mehr, so soll sein Weib ohne Unterschied ob sie reich oder arm, nach Bezahlung der Schulden, aus allen ihres verstorbenen Mannes übrigen Gütern einen vierten Theil nehmen und haben.* Itaque si vxor cum liberis defuncti mariti

C 2

con-

^{a)} *Vid. Cod. August. T. I. p. 105. Befehl Churfürst CHRISTIAN II. zu Sachsen, die bis auctero verßpürte Ungleichheit im Erkennen und Sprechen betr. an 1606. den viii. Decemb.*

concurrit, portio statutaria complectitur quartam haereditatis maritalis portionem. Sequitur deinde altera sanctio: *Lies aber der verstorben Mann keine Kinder, so sollen seinem überlebenden Eheweibe aus seiner Verlaffenschaft, nach Ablegung der Schulden, ein Dritttheil folgen.* Enim vero vtrique sanctioni haec subiungitur obligatio viduae: und die Frau in beyden Fällen alle ihre eingebrachte, anererhte und andre Güter zusamt der Gerade, in die gemeine Theilung zu bringen schuldig seyn. Ne autem vxor per hanc ipsam collationem se laetam conqueratur, optio statuta, vtrum hac ipsa conditione portionem statutariam capere, an illata repetrere malit. Verba haec sunt: *Iedoch soll der Frauen in allwege frey stehen, ob sie zu ihrem eingebrachten Gute, oder aber nach Gelegenheit der Fälle, zu dem vierten, oder dritten Theil greiffen will, und ihr solche Wahl ohne Unterschied, es hätte der verstorben Mann Kinder oder nicht, in einem oder dem andern Fall, wie ob siehet gelassen werden.* Quod quidem optandi ius aequitati consentaneum esse videtur.

Itaque vidua iure Saxonico primum dotem et illata repetrere, (quo quidem casu omnia ex legibus Romanis diiudicanda erunt, et rei vxoriae actio, seu quae*IVSTINIANO* eius loco placuit, bonae fidei actio ex stipulata locum sibi vindicat, vt reliqua iuris remedia in fauorem seminarum constituta praeterem:) Deinde vero ex pristica quoque communionis bonorum ratione, et noua sanctione, in haereditate maritali concurrere potest, quod autem si factum est omnia ex moribus maiorum atque hac ipse lege aestimari debent. Quamobrem optio est beneficium iuris, quo viduabus facultas a lege datur, statuendi post mortem mariti, utrum iure Romano dotem illatam repetrere, an cum haeredibus mariti, in diuidenda vniuersae haereditatis suique patrimonii massa, ex lege statutoue concurrere malint. Optionem hanc in fauorem seminarum introductam, esse beneficium iuris nemo ibit infi-

inficias, qui originem eius et naturam perspexit. Fundamenti loco ponitur vna bonorum massa, et constante matrimonio viduae iam electio datur, vtrum separationem vtriusque patrimonii petere, an ex vniuersa bonorum massa, suam portionem habere velit. Itaque hoc ius, si chronologiae et temporis rationem habebas, per tres gradus effectum efformatumque fuit. Antiquissimis temporibus dos a marito in casum viduitatis dabatur, deinde communio bonorum inter coniuges constituebatur, tandem portio statutaria inde prodiit, vt adeo etiam in hoc genere nihil stabile atque perpetuum videretur.

§. IX.

Vlterior optionis viduabus Saxonice datae explicatio, temporisque intra quod fieri possit debeatue definitio.

Cum itaque viduae iure Saxonico optio tribuatur, vtrum dotem et illata repetere, an dotalitium, portionemue statutariam habere malit, quaeritur omnino intra quod tempus haec optio fieri possit, debeatue? In qua quidem re, cum lege expresa destituamur, definitio ex analogia iuris Saxonici erit petenda. Iure Saxonico XXX, dies et ad sepulturam curandam, et ad reliqua maxime necessaria facienda, constituti sunt, intra quos nihil quod ad iura successionis pertinet, expediri debet. Per triginta itaque dies est haereditas veluti iacens, adeo, vt ne haeres quidem, intra hoc tempus a quopiam turbari possit, debeatue.^{a)} Ex quibus efficitur, vt vidua ad optionem instituendam, compelli non possit, in compositione vero rerum a marito relin-

C 3

rum

a) Iura huius temporis explicat HORNIVS diff. de die tricesimo. Vizemb. 1706. 410.

rum simul cum liberis remaneat, b) ab haeredibus autem extraneis turbari non debeat, nisi quod omnino etiam confessionem occupare possint. c) Post diem tricesimum vero fieri debet optio, sed quo temporis lapsu excludatur, nondum satis liquet. Fuerunt quidem olim in ea opinione Scabini Lipsienses, optionem intra annum et diem, a die tricesimo computandum fieri oportere, ita, ut vidua hoc tempore a petitione dotalitii et optione excludatur. At postea alteram, verioremque sententiam, videlicet tam dotalitii petitionem, quam portionis statutariae optionem, post longissimum tempus, seu post XXX. annos, annum et diem demum exspirare, recte adoptarunt. d) Quod si vero haeredum scire interlit, quo iure vti velit vidua, tum quidem die tricesimo peracto, praesertim petentibus haeredibus, obligatio optandi, mentemque suam declarandi, illi statim incumbit. In mora autem constituta, an tum propter moram amittatur electio, ita, ut ad haeredes pertineat, adhuc sub iudice lis est. Evidem id non puto. Quamquam enim ex mora plures effectus deteriores in morosum redundant, amissio tamen juris exinde provenire non solet, et ita viduae per iudicem competentem, ea comminatione, ut eligat, sub iactura optionis, electio primum iniungenda erit. Quod si tum contumax sit, non equidem dubito, quin per contumaciam, sententia subsecuta, optione cadat. Sed noua emergit quaestio, an nunc penes haeredes sit statuere, vtrum

b) Confl. Elec. Sax. 33, P. III. eit: *Dieser wird die Witwe mit dem Manne bey seinem Leben in gleicher Gewehr gesessen.*

c) cf. Ius. Saxonum Provinciale lib. I, arr. 22. HORN de die tricesimo, §. 30. et 31.

d) BERLICH Concl. P. II. Concl. L, num. 60, sequ. ubi rationes expositae, quibus, ut plures addantur, necesse non est.

vtrum illata reddere, an his, in massam haereditatis coniectis, portionem statutariam praestare velint? Id equidem non puto. Cum enim vidua rerum illatarum dominium habeat, quo quidem se, concursum cum haeredibus mariti faciendo, abdicare potest, ipsi vero tantum, nunquam haeredibus mariti tribuatur electio, sequitur ut vidua in mora constituta, per sententiam iudicis quidem ab optione excludatur, sed rerum suarum dominio non priuetur. e) Quamobrem haereditum, hoc loco, ius est, separandi viduae illata, vindicandique sibi reliquam haereditatis partem. Optionem autem expresse et tacite fieri posse, non est ut moneam. Sed quid, moto post mortem mariti in eius haereditate creditorum concursu obtineat, videamus. Cum ex bonis obaeratis portio statutaria percipi non possit, quippe computatio eius, deducto aere alieno, quod vero in concursu creditorum totam absorbere solet haereditatem, fieri debet, efficitur, ut viduae ius repetendi dotem et illata, tanquam creditum et aes alienum, tribuatur, ita, ut omnia legum Romanarum priuilegia sibi locum vindicent, etiam si alias ex statutis loci optio cesseret, ne coniux dote sua priuetur. f) Ita quoque CHRISTIANVS II. legem tulit, his verbis: *Wann aber zwischen des Mannes Creditoren und Wittben der Erfülligkeit halben geschriften würde, daß es bey der 28. Conf. P. I. sowohl andern priuilegiis dotalibus allenthalben ver-*

e) BERLICH P. III. Concl. XXVII: num. 79. hoc ius, inquit, etiam competit viduae ex eius haeredibus perpetuo, usque ad XXX. annos, postea summa certum tempus, puta, unius vel duorum mensium a iudice praesertim, intra quod, si vidua, aut sius haeredes non eligant, postea penitus excludendi sint. Idem statuit CARPOZOVIVS P. III. Conf. XX. def. 41. n. 3.

f) CARPOZOV. P. III. Conf. XX. def. 11. ss. 12.

verbleiben und darauf erkannt werden soll. §) Dixerit fortasse aliquis, optionem, his verbis, contra statutum, exorto, post mortem mariti, creditorum concursu, esse concessam. Sed cum legislator priuilegiorum dotis meminerit, quae locum habere non possunt, nisi dos ex concursu repetatur, sequitur, ut omnino sententia iegis sit, optionem etiam contra statuta prohibentia, exorto creditorum concursu, indulgeri. Quam quidem interpretationem recte amplexus est CARPOVIVS h) his verbis: *Si marito debitis onerato fiat concursus creditorum, vidua repudiata portione ex statuto loci aliius speciali sibi debita, bene dotem alias que bona sua illata, vna cum Gerada repetere valet.*

§. X.

De iure optandi, quatenus haeredibus viduae, post mortem mariti, sed ante optionem defunctae competit, in uniuersum.

Cum omnino fieri potest, ut vidua, post mortem mariti, ante optionem, decedat, quaeritur, an? et quatenus? haeredibus viduae optio tribuatur. In qua quidem re in diuersas partes trahuntur Iureconfultorum sententiae. BERLICHIVS *) qui-
dem ius optionis extraneo cedi non posse contendit; competit ta-
men, inquit, non solum ipsi viduae, sed etiam transit ad eius haere-
des

g) cf. supra laudatum Rescriptum. Ipsa verba exstant Cod. Aug.
Tom. I. p. 105t.

h) P. III. Conf. XX. def. 14.

*) In Conclus. P. III. Concl. XXVII. num. 77. BERGERVS in Oeon.
iur. lib. II. tit. IV. ib. XLV. n. 7.

des, indistincte, omnes, sive descendentes, sive collaterales, sive extranei fuerint. Huic autem opinione contradicit CARPLOVIVS^{b)} qui, posito principio, extingui priuilegia cum persona, exceptio nein in liberis statuit his verbis: *Solis tamen liberis ac nepotibus, ius optionis competit, non etiam haeredibus adscendentibus, collateribus, vel extraneis, in quos vidua facultatem eligendi neutiquam transmittit, sed defuncta ea, hi portione statutaria contenti esse debent, a repetitione bonorum illatorum prorsus exclusi.* Nolo plures diuersarum sententiarum auctores conquerire, sed potius ipsam rem, quoad quidem pro ingenii viribus fieri potest, definire conabor. Primum quidem expediti iuris esse videtur, optionem viduarum, cuius causa in statu viduitatis, ita quidem, ut ob hanc ipsam concedatur, ponenda, inter priuilegia seu iura singularia referri. Atque id ipsum non ex natura rei solum appareat, sed ipsae leges quoque innuunt. Quod si itaque vxor ante maritum moriatur, cessat optio, quamquam ius repetendi dotem haeredibus non denegetur. Porro etiam exinde hoc intelligitur, quod optio cedi nec potest, nec debet. Est autem certissimi iuris principium, priuilegia personalia extingui cum persona, nisi ex singulari lege vel natura rei ad haeredes transmittantur.^{c)} Qamobrem nec in optione viduabus ob conditionem et statum personae concessa,

con-

b) *P. III. Conf. XX. def. 41. et 42. MOLLERVS ad Conf. Elect. XX. P. III. n. 12. seq.*

c) *PAVLVS I. 68. π. de R. Iur. in omnibus, inquit, causis id obseruantur ut ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat, et MODESTINVS I. 196. de R. Iur. sit; priuilegia quae personae sive ad haeredem non transeunt. Idem repetit VLPIANVS I. I. §. 44. π. de aqua quotid, et aestiu, his verbis: quocunque datur personis, cum personis amittitur, neque ad haeredem vel qualcumque successorum transit.*

D

contra ius commune aliquid statui posse, existimo, ut adeo regula sit, optionem viduarum non transfire ad haeredes. At vero cum non solum personae ratio habeatur, sed rerum etiam iure dominii huic personae competentium, sequitur, ut dominium rerum illatarum cessante per mortem viduae optione ad eius haeres transmittatur. Quod vero ulterius prosequar.

§. XL

Ius repetendi dotem et illata ad quoscunque haeredes viduae transmittitur.

Dissoluitur matrimonium morte mariti, atque patrimonia vtriusque coniugis constante matrimonio iuncta, iam separata esse incipiunt, ut itaque dominium rerum dotalium ciuale ad vxorem ipso iure redire videatur. Neque enim solum vxor iam repetere potest res suas, sed etiam rei vindicatione vti, ita, ut fructus rerum immobilium, ex tempore dissoluti matrimonii, ipsi praestentur ^{a)}. Mortua autem vxore ante dotis rerumque dotalium repetitionem, hoc ius, cum reliquis eiusdem bonis ad haeredes eius transit, quod IVSTINIANVS ^{b)} his verbis constituit: *illo procul dubio in actione ex stipulatu seruando, ut si deceperit mulier constante matrimonio, dos non in lucrum mariti cedat, nisi ex quibusdam passionibus; sed ad mulieris haeredes ex stipulatu actio secundum sui naturam transmittatur, sive expressa fuerit, sive ex hac lege inesse intelligatur.* Quamquam enim haec lex de eo casu disponit, si vxor, constante matrimonio decedat, id tamen facile ad nostram rem poterit proferri. Non huius loci est expondere suc-

a) *I. vnic. Cod. §. 7. de rei vxorina actione.*

b) *I. vnic. Cod. §. 6. c. l.*

successionis principia generalia atque indubitate, ex illis tamen intelligi posse arbitrari, repetitionem dotis, cui ius et dominium rerum dotalium ineft, ad quemcumque vxoris haeredem transire, ideoque cessante electionis iure, haeredes mariti repetitio- nem rerum illatarum non denegare posse. Plane contrariam sententiam de hac re tuerit **CARPZOIVS^{c)}** qui collaterales et extraneos haeredes a repetitione bonorum illatorum pror- fusi exclusos, portione statutaria contentos esse debere, ait. At vero cum nullam opinionis suae attulerit rationem, quippe al- lata ad hanc ipsam rem plane non pertinent, nobis dissentiro licebit. Nam sublata in Germania bonorum, inter coniuges, communione, restitutoque iure repetendi dotem, cum priu- legiis juris Romani, adeo aucto, in fauorem viduae tantum, ius Saxonum constituit, vt possit vidua vel dotem illatam repe- tere, vel rerum suarum dominio, conferendo omnia in commu- nem haereditatis maritalis massam se abdicare, atque certam bo- norum mariti defuncti partem, vulgo portionem statutariam ful- mire. Collatio vero est facti, quae quoisque non verbis vel fa- ctis declarata fuit, non praesumitur, sed dominium dotis, sta- tim post mortem, ipso iure redit ad vxorem. Itaque hoc ad ha- redes transeat, necesse est, neque video, quo modo haeredes mariti, haeredibus viduae restitutionem illatorum denegare, por- tionemque statutariam obtrudere possint. Hac enim ratione, optio tribueretur haeredibus mariti, quod plane ferendum non est. Monere tamen non alienum esse videtur, me sententiam **CARPZOVII**, si ex statutis ne viduae quidem optio detur, sed haec adeo portione statutaria contenta esse debeat, amplecti vel- le. Tunc enim statuta communionem bonorum eatenus reti- nuerunt, vt, constante quidem matrimonio, vtriusque coniu- gis

D 2

c) P. III. Conf. XX. def. 42.

gis res, et possessio communis foret, soluto autem matrimonio non ex natura communionis et condominii bona aequaliter dividerentur, sed maior pars eorum, deducto tamen aere alieno, ad haeredes mariti, minor autem, ad viduam eiusque haeredes pertineret. Tum vero, cum huins partis quantitas ex statutis locorum definienda esset, portio statutaria dicta fuit, quamquam proprie est portio bonorum, constante matrimonio, communium, viduae post mortem mariti, ex singulari statutorum dispositione, praestandorum. Acquiritur haec portio ipsa morte, neque prius vxor ex communi bonorum communium possessione, nisi hac portione ipsis ex communi haereditate soluta, expelli potest, ita tamen, ut haeredes defuncti mariti in eandem communionem et compositionem, portione statutaria nondum soluta, admittere teneatur. Sed quid, si concursus creditorum, post mortem viduae ante optionem factam, moueat? Tum quidem concursus instar haeredis extranei, aut repetit illata, ut legum iura proprie requirunt; aut portionem statutariam interdum caput, quod vero non ex iure optionis viduae competentis, sed ex principiis paulo ante expositis sequitur, quae facili modo hue trahi possunt.

§. XII.

Optio vindicatur viduae liberis seu posteritati.

Quamquam regulam posuimus, iura singulare et priuilegia personalia ad haeredes non transire, optionemque viduarum Saxoniarum etiam sub genere priuilegiorum comprehendendi, subiungenda tamen est exceptio. Reсте enim HERTIVS: ^{a)} Enim uero, inquit non

a) cf. *Eius diff. de transitione priuilegii personalis ad alios* §. II. Opus. Vol. I. T. III. p. 24.

non raro evenit, ut priuilegium, sicut personale, ad alios transeat,
idque vel propter legem, quae facit, ut idem specie, non numero,
priuilegium, aut saltem effectus priuilegii cum aliis communicetur, vel
propter necessariam consecutionem, vel denique, ut plurimi putant,
propter factum intercedens. Atque id ipsum, meo quidem iudicio,
in electione viduabus Saxonis tributa contingit, quae ad poste-
ritatem eius, vt verbis HER XIII VTR, propter necessariam con-
secutionem, transire mihi videtur. Interpretatione enim Suppleri
debent, vti VULPIANVS b) ait, ubi bona occasio est, caetera, quae
tendunt ad eandem utilitatem. Matre itaque, ante optionem,
mortua, liberis optio competit, vtrum dotem matris, haeredi-
tate acquisitam, repetere, an omnia matris bona in haeredita-
tem maritalem conferre, portionemque statutariam capere velint.
Liberi enim ex moribus maiorum ipso iure, in communionem
bonorum succedunt, seu, vt clarius rem exprimam, nascuntur
in communione bonorum paternorum, vt sine ipsorum consensu,
ne alienatio quidem fieri possit. Cum autem optio illa et ius in
portionem statutariam ex illa ipsa communione bonorum inter
coniuges sit nata et in eius locum surrogata, sequitur, vt liberis
idem ius, quod matri competit, sit concedendum. Stat vero
etiam pro nostra sententia aliud juris argumentum, videlicet iura
singularia seu beneficia parentibus intuitu bonorum data, transire
ad haeredes, quod ex iisdem rationibus, optionem ad haeredes
pertinere, confirmat. Parentes enim et liberi in dominio re-
rum pro una habentur persona, vt non ipsa res solum defuncti,
sed priuilegia simul et beneficia ad liberos transmittantur. VUL-
PIANVS c) ait: maritum in id, quod facere potest, condemnari,

D 3

explo-

b) l. 13. nr. de LL.

c) l. 12. nr. soluso matrem. dos quemadmodum petatur.

exploratum est. Haec vero haeredi non prodebet, confirmat POMPONIVS ^{d)} ita: Si maritus soluendo non fuerit, sicut ipsi marito profit, quod facere non possit, (id enim personae mariti praefatur,) haeredi eius hoc non prodebet. Quicum consentit PAVLVS: ^{e)} sciendum est, inquit, haeredes earum personarum non in id, quod facere possunt, sed in integrum teneri. Neque tamen non manifestissimi iuris est, beneficium hoc et ius singulare ad liberos proferri. Nam filios mulieris, qui patri haeredes exsisterunt, in id, quod facere possunt condemnandos LABEO ait. ^{f)} Qui etiam in haereditate materna eadem obtinere priuilegia dotis, liberis competentia, demonstrat. Mulieribus tot omnino intuitu dotis concessa fuere priuilegia, ut plura fingi aut cogitari vix possint. Fundamentum eorum ponitur in ipsa persona et conditione feminarum, quod IVSTINIANVS ^{g)} his verbis significat: quis enim earum non misereatur, propter obsequia, quae maritis praefant, propter partus periculum et ipsam liberorum procreationem pro quibus multa, nostris legibus, inuenta sunt priuilegia. Haec ipsa priuilegia vero, quamquam proprie ob personarum conditionem inuenta fuere, liberis tamen etiam profunt. Nam IMPERATOR eadem lege statuit post priuilegium dotis: exceptis videlicet contra noueras anterioris matrimonii filiis — Sed sic maneat eis ius incorruptum, quasi adhuc viuente matre eorum. Atque id aliquanto clarius NOVELLA XCI. pr. et cap. I. statuitur, ubi: non enim aliis dedimus du-

d) l. 24. §. 1. π. de re iudicata et de effectu sententiarum.

e) l. 25. π. c. l.

f) cf. POMPONIVM l. 18. princ. π. soluto matrimonio dos quemadmodum peratur.

g) l. 12. §. I. Cod. qui posteriores in pigrōre habeantur add. §. 29. Inst. de Actionibus.

dudum et damus hoc priuilegium, aut haeredibus aut creditoribus, sed solis filiis. Ex quo quidem intelligitur, priuilegia dotis etiam ad uxoris posteritatem transire, aliis vero successoribus non competere. ^{b)} Atque mi fallor, hoc omnino in optione viduae ex iure Saxonico data, grauissimum est argumentum, facultatem penes liberos esse statuendi, velintne dotem repeteret, an portionem statutariam capere, alios contra haeredes et successores huius beneficii eundem in modum participes fieri non posse. ⁱ⁾

§. XIII.

Dissenſus plurium cohaereditatis circa optionem sorte dirimitur.

Contingere omnino potest, ut plures eiusdem viduae haeredes circa optionem dissentiant, ut alii quidem res allatas repeteret, alii autem portionem statutariam habere malint, in quo quidem dissensu, quid iustum sit, videamus. Etenim cum utrumque simul fieri non possit, quippe tam repetitio dotis, quam portio statutaria est res individua, sequitur, ut alterutrum fieri debeat. Orto vero hic, inter cohaeredes, circa hanc ipsam rem, dissensu, fortunam esse huius optionis iudicem, et sorte esse dirimentum, statuo. Quamquam enim aliud tollendae

^{b)} cf. HERTIVM de trans. priuileg. ad alios §. V.

ⁱ⁾ CARPOV. P. III. Conf. XX. def. 41. n. 10. sīq. qui rationes ita subduxit: *Priuilegium hoc optionis ad haeredes nevirgina transmittitur, rectissime tamen excipiuntur liberi et descendentes, quibus non minus ac viduae ipsi ius optionis competit.* Nec sine ratione cum ex ius sacrae hypobecae et praelationis quod personalissimum est, haeredibus descendenti bus mulieris concedatur, propter vinculum nempe fortissimum, quod liberos cum matre copular, ut eadem persona censemantur.

dispensionis in iure medium adest, scilicet per plurima suffragia, potestas tamen lege vel pacto constituta, suffragia de re aliqua ferendi requiritur, si nempe ius quaesitum, ut plura vinctant pauciora, idque ipsum pro vero et optimo habeatur, quod plurimorum suffragia ferentium, consensus statuit, exinde oriri debet. At vero haec inter cohaeredes, si pactum exceperis de quo nobis sermo non est, deficit, ideoque si iudicio familiae erescundae agatur, iudicis est, in tali dissenſu, partes suas interponere a) quod quidem in optione, cum non de diuisione, sed electione quaeratur, fieri non poterit. Quamobrem res inter solos cohaeredes agitur, ita, ut aut consensu, aut sorte dirimi debeat. Aliud argumentum ex analogia iuris, a legato optionis peti potest. Cum enim IUSTINIANVS legem ferret, legatum optionis ad haeredes pertinere, ne circa optionem dissenſus oriiretur, iussit: *Sive plures legatarii extiterint, quibus optio relata est, et dissentiant, — alio aliud corpus eligere cupiente, ne pereat legatum, quod plerique Prudentium contra benevolentiam introducebant, fortunam esse huius optionis iudicem, et sorte hoc esse diriment, ut ad quem fors peruenierit, illius sententia in optione praecellat.* b) Ex his itaque apparet, in dissenſu circa optionem item sorte esse dirimentam. Potest autem in SAXONIA noua oriri dubitatio, si duo sint viduae cohaeredes, an ex principio iuris Saxonici: maior diuidit, minor eligit, fortassis huius sit optionem definire. Equidem id ipsum ius non tribuerem. Optio quidem minori cohaeridi in iam diuisa haereditate eiusque parte tribuitur, sed hoc ad totam haereditatem non proferendum, ut sta-

a) cf. WESTENBERG *Principia Pandectarum. Tit. Familiae erescundationis* §. 16.

b) cf. §. 23. *Inst. de legaris et l. 3. Cod. communia de legatis et fideicommissis.*

statuere possit, vtrum dotis repetitio, an portio statutaria praeferenda videatur. Illa enim minoris electio supponit diuisam a maiore haereditatem, hoc loco autem de vniuersa haereditate agitur, ideo efficitur vt fors et fortuna in omni dissensionis casu, siue duo, siue plures ad sint cohaeredes, adhibenda videatur.

§. XIV.

De effectu optionis, aut ab ipsa vidua, aut hac defuncta, ab eius haeredibus factae.

Electiōnēt et viduae et eius posteritati vindicauimus, iam superest quaestio, quinam factae electionis sint effectus. In qua quidem quaestione illud primo loco tenendum est, optionem in re aliqua datam eo ipso momento exspirare, quo legitime facta est, ita, vt vna re optata, ad alteram reuerti non licet. Quod quidem non edocet solum vniuersi iuris ratio, sed etiam ad ultimas voluntates praesertim productur. Quamobrem effectus optionis aut a vidua, aut ab eius haeredibus factae, hi sunt, vt cesseret electio, eo ipso vero res electae viduae, vel eius haeredibus statim acquiruntur. Neque enim hoc solum ex natura rei appetit, sed etiam legibus in simili re ita cautum est: THEODOSIVS IMP. a) sancit: *Si quis agere ex testamento quolibet modo, siue scripto, siue fine scriptura confecto, de haereditate voluerit; ad fideicommissi persecutionem adspirare cupiens minime permittatur. Tantum enim absit, vt aditum cuiquam pro suo migrandi desiderio concedamus: ut etiam illud sanciamus: Si testator*

a) I. 8. princ. Cod. de codicillis.

tor faciens testamentum, in eodem pro codicillis etiam id valere complexus sit, qui haereditatem petit, ab ipsis intentionis exordiis, utrum velit, eligendi habeat potestatem, sciens se unius electione, alterius sibi aditum praeclusse: ita, ut siue bonorum possessionem secundum tabulas, siue secundum mancipationem caeterasque similes postulauerit, aut certe mitti se in possessionem ex more petierit, statim inter ipsa huius iuris auspicio propositum suae intentionis explaret. Ex quo quidem loco colligi potest, electionem in ultimis voluntatis competentem absumi, simulac semel facta sit. Atque id ipsum in optione, rei praesertim legatae, statuitur. LABEO^{b)} ait; apud AVFIDIVM lib. I. reascriptum est: cum ita legatum est, vestimenta quae volet, triclinaria sumito, sibique habeto; si is dixisset, quae vellet, deinde antequam ea sumeret, alia se velle dixisset: mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret: quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumbit; quoniam res continuo eius fuit, simulac si dixerit eam sumere. Atque PAVLVS respondet^{c)}: Serui electione legata, semel duntaxat optare possumus. Quae principia quo minus ad optionem viduae, eiusque liberis competentem proferri possint, plane non dubito; et hoc iure vtimur.^{d)} At enim quaeritur, annon optio, a vidua facta, possit rescindi ab eius haeredibus? Id quidem fieri non debet, nisi adsit causa legitima, ex qua negotium aut inutile et inutilandum est, aut saltim retractari potest, quas tamen singulatim non perseguar. Sed quid, si vidua ante diem tricesimum, aut viuō adhuc marito, optionem fecerit? Ait enim

T E-

b) l. 20. π. de opione vel electione legata.

c) l. 5. princ. π. de legatis I.

d) cf. CARPZOV. P. III, Conf. XX. def. 44.

TERENTIVS CLEMENS ^{e)} optione legata placet; non posse ante aditam haereditatem optari, et nihil agi, si optaretur. Equidem huius legis dispositio ad optionem nostram pertinere atque transferri posse, nego. Optio enim in legatis haeredem supponit, ideoque ante aditionem non potest non esse inualida. At vero plane aliae sunt optionis viduae eiusque haeredibus competentis rationes. Haec enim priuilegii instar est, atque semper fieri potest, nulla haeredum habita ratione. Adsit enim haeres, nec ne, competit tamen electio, et aduersus quemcunque mariti successorem exercetur. Quamobrem optionem, quo-cunque tempore factam, esse firmam et ratam, existimo, ut ex tempore saltim nulla rescindendi causa oriatur. Atque eo etiam mentem intendit **LEGISLATOR SAXO** ^{f)} constituens: wenn einer Frauen ein Leibgedinge aufgerichtet, und bestätigt worden, welches sie auch beliebet und angenommen, daß dagegen ihre Mitgift und Einbringen verlesche und abgehe. Ex quibus quidem regulam confici puto, dotalitio aut portione statuaria electa, ius repetendi dotem, nulla ratione temporis factae electionis habita exspirare, quae vero regula ad illum quoque casum recte profertur, si electio dotis iam facta est, non enim tunc licet ad portionem statuariam aut dotalitium redire: quippe quae iuris obseruatio in iudiciis etiamnum obtinet. ^{g)}

E 2

Hae

e) I. 16. π. de optione vel electione legata.

f) *Conſt. Elecſt.* 42. P. II.

g) cf. **BERLICH Concl.** P. II. **Concl. L. II.**, num. 5. seqq. et **CARPZOV.** P. III. *Conſt.* XX. def. 44.

Hae fere sunt opiniones quas ex legibus et rationibus iuriis deductas, pro instituti ratione proferre volui. Quod si factum sit, ut error irrepserit,

quem aut incuria fudit,

Aur humana parum cauir natura,


rogo, ut humaniter corrigatur. Sane non promptius me monebunt errantem, quam ego monentes sequar.



ULB Halle
005 361 494

3





DE
OPTI ONE
VXORI EIVSQVE HAEREDIBVS IN BONIS
MARITI DEFVNCTI, PRAESERTIM EX
IVRE SAXONICO,
COMPETENTE

DISSERTATIO
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS
CA PESSENDIS
AD DISCEPTANDVM PROPONIT

MAVRITIVS LVDOVICVS HÜBEL
IVR. VTRIVSQVE BACC. ET ADV. SAX. IMMATR.

A. D. V. DECEMBER A. R. S. MDCCCLXXXII.

LIPSIAE
LITTERIS SOMMERIANIS.

